CARMEN CONSECRATUM

Sempiterno honori præſtantiſſimorum virorum, qui ſtrenue, nec ſine gloria,

Pro conſervanda Patria, Urbe, Academia Studioſi Lugd. Bat. bonorum gaudio militaverunt A°. 1672.

Ex mandato Ampl. D. D. prædictæ

URBIS CONSULUM

Publice recitatum in Auditorio Theologico, cum eorum nomine debitum bene meritis numiſma erogaretur

à

JOANNE van GROENENDIJCK

SECRETARIO

11. *Octob.* 1683.



LUGDUNI-BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typograph. MDCLXXXIII.

ALLOCUTIO.

Magnifico qui docta regis ſubſellia Rector
Nomine, Palladii gloria ſumma Chori.

Inclita Battavici præluſtria lumina cœli;
Terrarum Dominis Regibus apta loqui,
Aegida queis Pallas, citharam ſubmittit Apollo,
Queis Mater gratas porrigit alma manus.

Si adfuiſſent.

Et, cum Conſulibus, Prætor venerande, colendis,
Juraque qui cunctis civibus æqua datis,
Voſque à conſiliis liceat dixiſſe ſodales,
Qui dulces ipſo fonte bibiſtis aquas.

Vos quorum totum jam fama ſupervolat Orbem,
Carmine materies non celebranda meo.

Queis Patria illuſtres (quos reddit) debet honores,
Doctrina inſignes, & pietate viri.

Dulcia qui ſancti canitis præconia cœli,
Mortales docti conciliare Deo.

Ex merito Titulis clari, queis Leyda ſuperbit,
Doctores, ſocii nomina chara mei.

Ingenui Juvenes, Patriæ ſpes, alta parentum
Gloria, carminibus non reticenda meis.

Innu-

Innumeris ſtupefacta malis mens hæret, & horret

Heu! nuper Patriæ triſtia fata meæ,

Quæ poſt edomitos hoſtes, ſublataque Regum
Nomina, ſerva prius libera miſſa manu,
Poſt tot perpeſſos noctesque dieſque labores,
Aëre jam voluit liberiore frui.
Quæ quondam Dominis nunc abjurata Philippis,
Tum potuit voti certior eſſe ſui.
Armis invito quæ pridem extorſerat ævo
Cœli mirandis accumulata bonis,
Cedat ut unda Tagi Rheno, concederet armis
Omnia, quæ Batavus poſſet amare meus:
Qui quondam precibus flecti potuiſſe negârat,
En cum jam poſcunt omnia, nulla negat.

Libera per totum ſic jam reſpublica mundum
Audiit, & ſociis regibus auſa loqui,
Attonitus quæ dum miracula ſuſpicit Orbis,
Spectanti vix jam credidit ipſe ſibi,
Hoc firma intrepido valuit conſtantia bello,
Sic animo colitur liberiore Deus,
Sic Tygris, ſic dives Arabs, ſic Indus adorat.
Et plaga Battavico multa remota ſolo,
Sic Orbis Batavo totus jam creditur orbi,
Sic novus orbis emit, vendit & orbis opes,
Ut fortunatam videas floreſcere gentem,
Et nimium pronos in ſua vota Deos.
Sed cum jam creviſſe putes ad culmina rerum
Res Batavum, tantæ tum modo molis opus.
En quaſi ferre nequit tot cœli commoda tellus
Unica, vicinis anteferenda ſuis,

Hor-

Horrida Battavicam portendunt fata ruinam,
Viſaque ſunt Batavis omina dira meis:
Non ego nunc geminos cœlo ſplendeſcere ſoles,
Cornua nec Lunæ rubra cruore querar,
Non ego monſtra ſuis horrenda carentia fibris,
Pignora vel matri tum metuenda canam;
Mutua cum ſpectes feralia fœdera Regum,
Omina finitimis exitioſa locis.
Non opus eſt juſtas bellorum quærere cauſas,
Si deſint aliæ, gloria Martis erit,
Immenſæ regum vires glomerantur in unum,
Ut cadat imperio parvula terra ſuo.
Neve malis deſit, quod non horreſcere poſſis,
Infula cum ſceptris quam male juncta vide.
Protinus ingentes turbarunt æquora claſſes,
Et freta terribili ſollicitata tuba.

Hor-

Horriſonis concuſſa armis, expoſtaque flammis
    Æſtuat inſolitis æſtibus unda maris,
Et tot flammarum furiis incenſa videtur,
    Ut credas ſummo fulmina rapta Jovi,
Vel merito mediis dubitet Neptunus in undis,
    An mutata ſuis infera regna forent.
Fluctuat Oceanus, terra committitur æther,
    Sed non Battavici fluctuat orbis amor,
Perque triumphatos poſt mille pericula fluctus
    En Michael nobis Angelus ecce venit,
Additaque innumeris victoria læta triumphis,
    Ne poſſit binis Regibus eſſe minor,
Sic redis ad noſtros nunquam moriture penates,
    Et Decus & Patriæ gloria prima tuæ,
Magnorum meritis numeros aucture Deorum,
    Si referant factis præmia digna tuis.

Sed

Sed labefacta ſibi dum vindicat æquora tellus,
Flebilis heu! viſa eſt ſic moribunda loqui,
Oceani medios inter peritura triumphos,
Hoſtibus heu! jaceo pene ſubacta meis;
Cum pudor ô fatis, Batavus virtutis avitæ
Immemor, Allobrogi turpia terga dedit,
Indomitique armis quondam ceſſere Sicambri,
Et Galli ad cantum Gelria ſerva fuit,
Protinus innumeras arces ſuperavit & urbes
Et non ſpernendas impiger hoſtis opes:
Quotque dies belli, totidem numerare triumphos
Suſtinuit, cum nos Gallus ad arma vocat.
Te mea Leyda petit ſtricto rex cominus enſe,
Semper magnorum maxima cura Deûm.
Et cum jam magni ſpoliis urbs proxima Regis,
Venerat exitii nuncia fama tui.

Ecce pari voto pro te ſtudioſa Juventus
Intrepidis animis miles in arma ruit,
Pro te Sauromatæ, Germanus, Belga, Polonus,
Pro te totius militat orbis amor,
Illuſtres animæ, cognataque nomina Regum,
Militiæ dederant nomina clara tuæ;
Arridet fortuna tuis pulcherrima cœptis:
Sed mala mixta vide deteriora bonis.
Dum ferus hoſtis adeſt, omni damnoſior hoſte
Sæviit in Proceres plebs furibunda ſuos,
Hoc modo non uno teſtata eſt nomine mundo,
Haga Patrum ſedes, horrida cæde Patrum.
Spectat degeneres refugo ſol lumine cives,
Creditur inque ortus tum rediiſſe ſuos:
Sed ne civiles referas mea Muſa furores,
Quos damnet tenebris nox ſatis atra ſuis,

Ut

Ut Proceres voluere, tacè, dum proferat unquam
  Horrendi cantus carmina nulla dies,
Ut bona poſteritas præſenti mitior ævo,
  Exemplo noſtrûm neſciat eſſe ferox.
Quis non tam triſti durarum tempore rerum
  Supremum Batavis crederet eſſe diem,
Et conclamatam Patriæ per fata ruinam,
  Ut jam reſtitui ſe potuiſſe neget.
Sed tamen omnino pulchræ diſperdere Leydæ
  Mœnia præſentes non voluere Dei,
Cum tantæ Juvenum firment præcordia vires,
  Et tales animos tempora noſtra ferant.
Eſt aliquid lapſis Patriæ ſuccurrere rebus,
  Et Muſis ſedes aſſeruiſſe ſuas,
A Patribus ſævos armis arcere furores,
  Eſt aliquid fateor plebs maleſana tuos,

Eſt aliquid nullo Patriæ trepidare tumultu,
Pectora temporibus fortia ferre malis;
Ædibus innocuis prohibere incendia, flammas,
Ne injiciens avidas plebs violenta manus
Inſontis turbaret opes, pia numina teſtor,
Non fuit indomito marte Minerva minor.
Diverſæ rapiant alios in prœlia cauſæ,
Exitioque bonis impia bella gerant,
Inque diem denis animas, & corpora vendat
Aſſibus, eſuriens ſquallida turba virum,
Nulli venales, nullum vos polluit aurum,
Exſtimulat Juvenes gloria ſola meos,
Ne quis opum doctos inter male quærat avaros,
Pectora ſunt tantum laudis avara ſuæ.
Vos Jura immunes armis Academica dictant,
Sed quod Jura ſinunt, gloria veſtra vetat.

Con-

Condonate mihi, tantis, ſi viribus impar,
Languida laudandis ſit mea Muſa viris;
Manibus heu! Meldere tuis teſtamur, & abſit
Invidia ingenuis, te reticente cano,
Feciſti, iratis poſſes ignoſcere cœlis,
Leyda peregrinis non peritura rogis;
Te duce docta cohors in totum profuit urbi.
Militis expleſti munia cuncta boni.
Fruſtra obſeſſa ſuis ſic hoſtibus, æqua, triumphans,
Stat tuta auxiliis Leyda, Minerva, tuis,
Nec pro te doctam ſatis eſt armaſſe juventam;
Conſiliis præſens Principis ipſa fuit,
Magnanimus jam jam, cum dux ſine milite mœſtæ
Evolvit patriæ plurima fata ſuæ;
Non Marte, indomito ſed Pallade reſtitit hoſti,
Suppetias ferrent flumina juſſit aquis,

Yſula cum plenis confeſtim paruit undis,
Arteque divina ſenſit adeſſe Deam,
Sic belli flammis, cunctiſque potentior armis
Tum mage ſecuros fecerat unda Lares,
Cætera magnanimis invicti principis armis
Quis neſcit Batavis bella peracta meis,
Non mea jam mens eſt, ingentia Principis acta
Ingenii culpà deterere ulla mei,
Mantua Virgilium, vel Smyrna redonet Homerum,
Non eſt res humeris tanta ferenda meis,
Terreſtrique, humilique gradu ſublimia vito,
Sunt mea Principibus verba minora viris,
A Dominis mandata meis hæc verba ſuperſunt,
Quæ, precor, æternam ſint habitura fidem,
Debemus ſalvam vobis, debebimus urbem,
Palladis invicto robore tuta fuit,

Conſpicio plures, nec me mea lumina fallunt,
Inter honoratos nomen habere viros,
Sic virtus ſummi pertendit in æthera cœli,
Nec potis eſt meriti dememiniſſe ſui,
Orbis & urbis amor gratæ generoſa juventus,
Si taceat laudes charta, Numiſma refert,
En nunc inciſas referunt hæc carmina laudes,
Munera pro meritis non ſatis ampla tuis,

Græcia devictam jactet per Pallada Troiam,
Immenſæ ſtrueret cum modo molis equum,
Diva Minerva ſuis Leydam conſervat alumnis
I nunc, & dubita, queis magis æqua fuit.

Inclyta Palladios famâ ſuper æthera notos
Nobilitet Juvenes læta Vienna ſuos,

Dum ducis intrepidi totus miracula mundus
  Suſpiciat, fieri quæ potuiſſe neget,
Et meritis impar terrarum maximus orbis
  Reddere munificus non valet æqua tuis,
Fata polo veniunt, præclara trophæa Polono,
  Conſervatque fides intemerata ſuos,
Non moritura Ducum ſic fama perambulat Orbem,
  Credite præſentes ſic voluiſſe Deos:
Et genus, & proavos, fucatæ pabula famæ
  Jactent ignavi ſed ſine laude viri,
Vos proprii, virtute viam monſtrante, labores
  Nobilitant, vobis fama perennis erit,
Candida vos ſeri memoret poſt fata nepotis
  Poſteritas, Patribus gratior ipſa ſuis,
Qui duce Meldero victricia ſigna ſecuti,
  Tam fortes animos hæc modo dona manent.

Ac-

Accipe docta Cohors pretium non vile laborum,
Sera licet meritis, gloria vera venit,
Surgite magnamini, veſtræque aſſurgite laudi,
Non ſunt dona probis hæc nocitura viris.

Poſt diſtributionem Numiſmatum ſequentia.

Candida nunc mœſtos avertant gaudia luctus,
Libera jam Batavis ſtet mea Leyda meis,
Sic nulla obſeſſos conſpectent tempora Cives,
Devictos videant ſecula nulla tuos,
Teſtor præteritum, præſens teſtabitur ævum
Hoſtili neſcit ſubdere colla jugo.

Unda prior doctæ peperit tibi templa Minervæ,
Grataque nunc Pallas poſteriore fuit,
Tertia cœleſtes hujus teſtatur amores,
Dii, precor, exitio nulla ſit hora tuo,
Et fortes heroum animos ſi fata requirant,
His ventura pares tempora dura ferant,
Vel cum præteritum Batavos quoq; protulit ævum,
Dii tibi dent, qualis Werſius ipſe fuit,
Tantum magnanimis Leydæ qui profuit auſis,
Quantum nunc animo vix mea Muſa capit.
Cum ſua diſcordes arment in viſcera Cives
Et maleſuada fames, peſtis & atra meos,
Languida mirandis firmavit pectora verbis,
Cum voluit carnes Conſulis eſſe dapes,
Objice conſtantes ætas Romana Catones:
Omnibus objectis non minor unus erit,

Sed

Sed timeo patriæ peccare in commoda noſtræ
Dum nimis inſulſe tempora veſtra moror,
Nunc docta lætæ vivant cum Pallade Muſæ,
Vivat & auxiliis Leyda ſuperba ſuis,
Mœnia continuos reſonent felicia cantus,
Gratia ſupremi ſit tibi ſumma Dei,
Jam mecum aſſiduas cœlis perſolvite grates,
Gratia ſupremo ſit tibi ſumma Deo.

D. Cornelio Vander Marschen

Quamvis de meritis tibi gloria reddat honoris,
Et virtus merces sit pretiosa sui,
Ingratum tamen esse nequit mandante senatu,
Subscribi meritis vir generose tuis.

D. JOANNI VAN GROENENDYCK

J. V. D. & Reipubl. Leydenſi à Secretis,

quum juſſu Ill. Conſulum ob militiæ munia tempore belli Gallici ſtrenue ſuſcepta & peracta Academicos pro cathedra laudaſſet donaſſetque nomiſmate in eam memoriam cuſo.

Non aliter quam ſi tacitis tua ſemper Amyclis
Tempora feciſſes, ac deſes inertia vires,
Grata mihi quondam, ſed nunc ſine nomine Muſa,
Fregiſſet ſine fine tuas, huc uſque reducta.
Et penitus penituſque latens, nunc, nunc caput effer
Et renova; quæque ante dies mera gaudia plenis
Auribus hauſiſti exſultans oculiſque, quibuſque
Pergis adhuc gravido turgere in pectore, nunc, nunc,
Egere duntaxat, ſi non potes omnia, partem.
Sic opus eſt. Heu! qualis eras? quæ gratia, quæ te
Inſoliti mulſit leniſque decenſque venuſtas
Carminis, & Pitho fandi blandiſſima, quando
Arbiter arcani & multos ſpectata per annos
Sacra fides, ô Leida, tui, ille, ille Senatus
Lingua gravis pariterque manus, GROENDYQUIUS, urbem
Mandatu procerum gratam hanc oſtenderet, atque
Virtuti ſua præmia largiretur, eandem
Argento memori ſimul & ſermone coronans?
Plena recognovi veteris veſtigia Leidæ.
Et robur, Meldere, tuum, te mente ſagaci

Pacis ad urbanæ vigilantem commoda vidi.
Hoſtibus expoſitam & te, Leida, ter undique preſſam
Terque Deum claro & manifeſto lumine ſenſi
Tutelam auxiliumque tuum, per flamina venti,
Nunc per aquas, &, quod plus eſt, per nomina magna
Perque hoſtique famique obſtantia pectora Patrum;
Ut ratio, ut leges, ut mens ſincera Batavos
Ducere, non aulæ laſcivia perdita, poſſet.
Hæc tua, Groendyqui, multum elimata Camœna
Monſtravit nobis viva & ſpirantia rurſum.
Quæ dum ſuſpenſo narras memoranda theatro,
Munificam Procerum quæ commendatio mentem,
Verborum quam feſtus honor tibi publica ſcita
Condiit: hæc omni ſermo de parte rotundus
Expoliens, ſed & hic prolatus ab ore rotundo,
Quam ſapido terſas tentavit nectare mentes?
Sed quod adhuc magis eſt, & prorſum hæc emicat inter,
Libera vox miſſa eſt, per teque Batavica fulſit
Libertas, & voce tua furor ille, cruore
Indigno patriam infamans, concuſſus acerbe;
Et ſua Lugduno laus eſt ſervata, periclo
Quæ proprio (ringant ſane Gallique Britannique)
Et tantum non obſidio compreſſa, marinas
Exporrexit opes, ſociis & viribus uſa
Invaluit tantum, jugulis ferus hoſtis ut hærens
Et crudele minans fugeret terraque marique.
Scilicet eſt aliquid generoſo germine naſci.
Scilicet eſt aliquid caſte retinere parentum
Semina, quos quoties ſummi faſtigia juris
Libera Lugdunum & jam defrænata lupatis
Vidit habere ſui? quoties ſua tempora & annos

Eſt aliquid generi proprium adjunxiſſe laborem,
Et ſorti, natura favens quam contulit altam,
Egregium ſtudii & linguæ decus addere. Nam dum
Hanc per materiam deducis arundine leni
Mellificum carmen, dum monſtra, pericula, caſus,
Et natalicia terræ memorare labores
Niteris, en parili potui mihi numine plenum
Fingere Scaligerum, en talem mihi ſuave ſonantis
Heinſiadæ formare animum, quum litoris alter
Phallophori prope nos fabulam, miracula at alter,
Quæ tellus hæc noſtra parit laudanda relatu,
Conciperent, fœto fuſuri pectore Muſam.
Tale tuum carmen, talis tuus impetus; in te
Exemplum & priſci facies Heliconis, & aurei
(Ah redeat!) ſecli felix apparet imago.
GROENDYQUII Manes ſalvete, per omnia prorſum
Felices; ſalve ſuboles GROENDYQUIA tanquam
Vere novo exuberans, gentilique ad decus œſtro
Graſſatura: etiam ſalve mea Leida per omnes.
Quam dum per cives ſic tolli cerno poëtas,
Indigetes Divos, Phœbum cum Pallade, adoro.

Ita ſenſum ſuum & reverentiam teſtabatur

JACOBUS GRONOVIUS.

Con-

Conſultiſſimo, Doctiſſimoque Viro

D. JOHANNI GROENENDYCKIO,

Ampliſſimis hujus Civitatis Conſulibus à Secretis,

Generoſos omnium artium Studioſos, pro armis, Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ſtupendâ fortitudine ultro ab ipſis ſuſceptis, doctiſſimo carmine publicè in Auditorio Theologico ſalutanti.

Ergo induta togam facta eſt Elegeïa Rhetor,
Et claudo didicit carmine Muſa loqui,
Quæque olim ſerpebat humi, nunc ſurgit in altum
Et recitat numeris arma, viroſque ſuis.
Miretur, quicunque leget tua diſticha, Vates,
Leyda quod hoc docto milite tuta ſtetit.
Multa quidem meruit, quem non ſtipendia miles
Armârunt, Patriæ ſed pereuntis amor.
Ne tamen ignorent venturi hæc geſta nepotes,
Hoc debet Pallas nomine plura tibi.
De palmâ tecum certet cantata Juventus

IN HONOREM,

Clariſſimi Conſultiſſimique Viri,

D. JOHANNIS à GROENENDYK,

J. U. D. & Illuſtri Reip. Lugduno-Batavæ à Secretis

Conſulibus prognatus Avis, Themidiſque Sacerdos,
  GROENDIKIÆ Spes & Gloria multa Domus,
Nunc urbis Splendor, Batavus cui Scita Senatus
  Credidit, atque ſui Jura ſacrata Fori,
Palladii nuper Stupor, acclamatio Plauſus,
  Cumque nihil potuit rodere Momus, erat.
LEIDA peroranti Tibi pronis auribus adſtat,
  Miratur, laudat, ſuſpicit atque ſilet.
Non mihi Naſones jactet nec Roma Tibullos,
  Hic quoque quod tentat dicere, verſus erat.
Ingentes animæ! Felix Generoſa Juventus!
  Non poteras ferri nobiliore Tuba.
Bellaque cum Gallis, & Fœdera juncta Britannis,
  Et Patriæ, ſi non emorientis, onus,
Omnia dulcifluis, celebrabat vena cothurnis,
  GROENDIKII, cunctis condecoranda modis.
Fortia ſic æquè narrabunt geſta Juventæ,
  Carmina, quam fulgens grande Numiſma Patrum.
Aurea jam redeunt Saturnia Secula Belgis,
  Virtuti ex merito ſic ſuus adſtat honos,
Vati debentur Torques, Inſignia, Laurus,
  Æternum Nomen, Poſteritatis Amor.
Suſcipe ruſticulæ quæſo conamina Muſæ,
  Vatibus en Batavis Lampada trado meis.

ADRIANUS PARS.

FINIS.